

tes de idumea. et prudentiam de monte
 esau. Et timebunt fortes tui a meridies
 ut intereat vir de monte esau. Propter
 interfecionem et propter iniquitatem in fra-
 trem tuum iacob. operiet te confusio: et
 peribis in eternum. In die cum stares ad
 uersus eum qui capiebant alieni exercitum
 eius et extranei ingrediebant portas eius
 et super hierusalem mittebant sortem: tu quia eras
 quasi vnus ex eis. Et non despicias in die
 fratris tui: in die peregrinationis eius. Et
 non letaberis super filios iuda in die perdi-
 tionis eorum: et non magnificabis os tuum
 in die angustie. Neque ingredieris porta
 populi mei in die ruine eorum: neque despicias
 et tu in malis eius in die vastitatis il-
 lius. Et non emittes aduersus exercitum
 eius in die vastitatis illius: neque stabis
 in exercitu ut interficias eos qui fugerit.
 Et non conduces reliquos eius in die tri-
 bulationis: quoniam iuxta est dies domini super
 omnes gentes. Sicut fecisti. fiet tibi: retru-
 sionem tuam conuertat in caput tuum.
 Quomodo enim bibisti super montem sanctum meum
 bibent omnes gentes iugiter: et bibent et ab-
 sorbebunt: et erunt quasi non sint. Et in
 monte sion erit saluatio et erit sanctus. Et
 possidebunt domus iacob eos qui se pos-
 sederant. Et erit domus iacob ignis: et
 domus ioseph flamma et domus esau sti-
 pula. Et succendent in eis et deuorabunt
 eos: et non erunt reliquie domus esau. quia
 dominus locutus est. Et hereditabunt hi qui
 ad austrum sunt montem esau: et qui in cam-
 pestribus philistinum: et possidebunt regio-
 nem effraim et regionem samarie. Et be-
 niamin possidebit galaad: et transmigra-
 tio exercitus huius filiorum israel omnia loca
 chanaanorum usque ad sareptam: et trans-
 migratio hierusalem que in bosforo est
 possidebit ciuitates austri. Et ascendent
 saluatores in montem sion iudicare mon-
 tem esau: et erit domino regnum.

¶ Explicat Abdias propheta

Incipit plogus in Ionam propheta.

Ionam sancti hebrei affirmant
 filium fuisse mulieris vidue
 sareptane: quem helias pro-
 pheta mortuum suscitauit.
 matre postea dicente ad eum
 nunc cognoui quia vir dei es tu: et uerbum
 dei in ore tuo ueritas est. Ob hanc etiam
 causam ipsius puerum sic uocauit amathi
 Amathi enim in nostra lingua ueritatem
 sonat. Et ex eo quod uerum helias locutus est
 ille qui suscitatus est filius esse dicit ueri-
 tatis. Ideo de ueritate columba nascitur
 quia ionas columbam sonat. In eodem
 nationem autem israel ionas ad gentem mis-
 titur: quia ninive agente penitentia illi in
 malicia perseverant. Temporibus quippe
 hieroboam regis israel qui deo derelicto
 cum populo suo in samaria idolis sacri-
 ficabat: ionam prophetam fuisse: quartus
 liber regum indicat. Is cum propheta il-
 luminante peccatores ciuitatis ninive
 dei misericordiam consecuturos uideret
 ne falsa predicare uideretur. ad denunciandum
 interitum eiusdem ciuitatis ire uolebat
 Nam sicut deus ad abraam de impieta-
 te sodomorum et gomorreorum locutus est:
 clamor sodomorum et gomorreorum perueni-
 nit ad me. Ita de ninive dicitur: eo quod ascen-
 derit clamor malicie eius ad deum. Et quia
 sententia dei de sodomis facta. minime re-
 uocata est: ita et ionas aduersus ninive
 prolatam sententiam reuocare uolebat
 diuine dispensationis ignarus qui salu-
 tem hominum ad se conuertentium ma-
 gis uult quam interitum. Hoc illi iaccederat
 quod et sancto heliseo: qui filium sunami-
 tidis mulieris mortuum ignorauit. Iona
 a conspectu dei fugere se ionas putabat
 humanum aliquid passus. dicente da-
 uid. Quo ibo a spiritu tuo: et a facie tua
 quo fugiam.

¶ Explicat plogus. Incipit argumentum.